



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ars Bonæ Mortis. Sive: Quotidiana Erga Sanctissimam Dei Matrem Mariam Pietas

Ad omnia quidem utilis. Ad felicem tamen mortem obtinendam utilissima

Hevenesi, Gábor

Coloniæ Agrippinæ, 1709

V. Novembris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50916](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50916)

S. Emericus Dux Ungariæ à SS. Adalberto & Gerardo Episcopis educatus Deiparam, ut Matrem, amare, ac ut Dominam colere doctus, in constanti erga eam pietate nova indies capiebat incrementa. Cujus amore cœlesti voce admonitus virginitatem vovit, quam etiam Virgo cum conjugè servavit. *Vita.*: Amas Virgo esse, cave corpus ames.

S. Emerice ora pro me Deiparam, ut cui summè placet virginitas, prout tibi cœlitus revelatum est, ita puritati cordis studeam, ut nihil in me loci impurorum fator amorum ortus inveniatur, sed mundus corde, tantò certius DEUM videam. O Sanctissima Dei, & mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusq; tam corporis, quàm animæ viribus centies millies, imò infinities te saluto: te omni possibili omnium possibilium & actualium creaturarum affectu amare, tibi usque ad ultimum &c. f. 190.

Ad quod impetrandum: illa verba salutationis Angelicæ, *nunc, & in hora mortis nostræ,* cum majori reflexione iterabo.

In manibus tuis ô benedicta verè reposita est nostra salus recordare ô piissima miseræ nostræ. Quem vis ipsa, salvus erit, & à quo avertis vultum tuum, vadit in interitum. *S. Bonav. in psalt.*

Quæstio: An fœcundior à virginitate thorus Emerici, quàm à Matrimonio esse potuisset?